



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Clerico in Susatia ad accusationem adulterae combusto, cap. 99

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

*Iuuenis
cafitas
tentata
sed non
expugna
Et.* **N**on est diu, quòd in Susatia clericus quidam fuit
peregrinus, Hermannus nomine, ætate iuuenis,
corpore procerus, pulcher aspectu. In hunc femina
quædam eiusdem ciuitatis ciuis oculos injecit, adeò
ab illo inflammata, vt diceret: Si volueris meis am-
plexibus vti, omnia mea tua erunt. Cuius verba vel
promissa cum iuuenis, memor sancti Ioseph, despice-
ret, & illa nihil se proficere cerneret, de oppressione
illum coram iudicibus accusauit: qui cum negaret,
nec ei crederetur, missus est in claustrum murorum,
locum scilicet damnatorum. Illa, luxuria stimulante,
a clerico se dementatam simulans, murum cum scha-
la ascendit, deorsum se præcipitauit, iuuenem ample-
xatur, ad commixtionem illum sollicitans. Nec sic pro-
fecit. Hoc cognito, iudices extrahentes innocentem,
tanquam maleficum & magum, miserunt in ignem,
qui cum arderet, ita vt patentibus costis pulmo eius
videretur, salutationem angelicam, id est, Aue Maria,
& c. cunctis audientibus decantauit. Mox vnus de
circumstantibus mulieris cognatus, titionem arden-
tem arripiens, orique eius immittens, ait: Ego auferam
tibi orationes istas, & suffocauit eum. Quid plura?
mortuus est, & in cæpo ossa eius sepulta, ad cuius tum-
bam sæpius visa sunt luminaria, & diuersa cõtingunt
miracula. Territi verò parentes prædictæ adulteræ,
coram canonicis sancti Patrocli se prostrauerunt, ve-
niam postulantes, & pro nece iusti pœnitentiam sus-
cipientes, super cuius tumulum Ecclesia fabricata est.
Iuuenem hunc luxuria per feminam, vt coluber in via,
id est manifestè, peruasit, corpus eius incinerauit, sed
non superauit. Alteri cuidam facta est cerastes in se-
mita, hoc modo.

CAPVT C.

Conuersus quidam, vir bonus ac deuotus, quem
ego bene noui, cum ante annos paucos nauem
portantem vinum monasterij sui deduxisset in
Flandriam, nocte quadam hospitis sui, dũ secundum
consuetudinem lectum illi in solario domus præpa-
rasset,